

Y b  
1281



Q. R. 148, H.

7,509



509

SOLENNIA SAECVLARIA  
 MEMORIAE  
 PACIS AVGVSTANAE  
 RENOVANDAE SACRA  
 INDICIT

---

ET  
 SENATVM REIPVBLICAE GORLICENSIS  
 AMPLISSIMVM

OMNESQVE OMNIS ORDINIS LITTERATOS  
 AD ORATIONES

IN GYMNASIO GORLICENSI d<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> LV, IPS. CALEND. OCTOBR  
 HOR. IX MATVT. PERBENIGNE AVDIENDAS  
 HVMANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE

INVITAT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
 AVGVSTI GYMNASII GORLICENSIS RECTOR





---

GORLICII  
 EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

L<sub>1</sub>

1

112 11



RENOVANDA SACRA  
MEMORIAE  
PAGIS AVGVSTANAE  
RENOVANDA SACRA

SENATVM REPVBLICAE GORLICIENSIS  
AVGVSTANAE  
AVGVSTANAE  
AD ORATIONES  
IN SENATU GORLICIENSIS AVGVSTANAE  
M. FRIEDRICH AVGVSTANAE  
AVGVSTANAE



GORLICIENSIS  
RENOVANDA SACRA





**P**ublici gaudii apparatu strepit Saxo-  
nia, diem III Calend. Octobr. me-  
moriae saeculari PACIS AVGV-  
STANAE renouandae sacrum,  
pio festoque ritu celebratura,  
Ad quae quidem solennia, recte religiosiusque ad-  
ornanda, cum plurimum referat, quo quisque ani-  
mo accedat, par est, ut omnium, ita uel maxime iu-  
uenum, litteris addictorum, animos diligenter prae-  
parari, et hortatu docentium praeceptisque ita  
instrui, ut intelligant, quanta sit beneficii, diuinitus  
pace tam optabili nobis concessi, praestantia, quan-  
tum religionis, aduersus uim insidiasque publica  
munitae auctoritate, decus et pretium, quanta deni-  
que, tot gaudendi gratulandique caussis cumulatis,  
optimo cuique imponatur necessitas, summam sum-  
mi DEI clementiam, luculenter, si quando alias, hic  
a 2 demon-

demonstratam, pia gratissimaque commemoratione  
praedicandi.

Non committendum adhuc putauimus, ut, hac  
quidem in re, nostris deessemus partibus, quin  
potius, quanto maximo fieri potuit studio, et ea,  
quae pacis, ante hos ducentos annos in itae firma-  
taeque, commodis plenius intelligendis subserui-  
tura uidebantur, annalium fulti adminiculis, publice  
proposuimus, et, animis religionis sensu acrius com-  
motis, docuimus, quid ab unoquoque pietas non  
modo exspectet, uerum quoque postulet.

Quod idem nobis prolusione hac propositum  
est, qua, non animus quidem est, Pacis Augustanae  
historiam latius persequi, longum enim id foret, et  
ab instituto nostro alienum, sed breuiter summa-  
timque attingere iuuat, a quibus initiis ducta sit tam  
iucunda pax, tam fructuosa, tamque digna, quae  
omnium saeculorum admiratione, fama, litterisque  
celebretur.

Ex quo Lutherus, diuino instinctus Spiritu, sa-  
cra emendare coeperat, uarie, ut fit in tanta tantae  
rei immutatione, animi adficiebantur. Alii, atque  
in his summi Principes, imperiique Proceres, non  
famae, non utilitatis consequendae studio ducti, sed  
ueritatis compulsi uiribus, Lutheri fauebant ince-  
pto,

pto, clarissimam, quae, discussa tam longa nocte, effulserat, lucem Germaniae gratulati. Alii, nouae, quam uocabant, religioni infensi, quicquid habebant uirium, quicquid facultatis opumque, eo conferebant, ut Lutheri intecederent consiliis, eorumque, qui ueri decus religionisque emendatae causam afferebant, conatus reprimerent.

Magna uis est ueritatis, et magna in utramque partem, ita, ut neque eos frangi animo debilitarique patiatur, qui eius pulchritudinem, cognitam recte perspectamque, tuentur, neque, qui eam oppugnant extinctamque cupiunt, rem ex sententia conficiant, sed, eluso irrito conatu, quicquid impendunt laboris, frustra insumant, nihiloque plus agant, quam si operam dent, ut solem de mundo tollant. Quod utrumque tum uel maxime declaratum fuit, cum religio ex diuturnis errorum inscientiaeque tenebris in lucem emerisset.

Biennio post, quam Lutherus thesibus, Vitembergae ad disceptandum publice propositis, illorum temporum, quibus ipsa sacra uenalia habere moris erat, licentiam coarguerat, Georgius, Dux Saxoniae, ab Eccio diu multumque rogatus, Lipsiae campum publice disputandi aperiebat, ueritatem, tot implicatam controuersis, aut hoc, aut nullo alio modo expediri posse, opinatus. Vocatis ergo

classico ad conflictum Vitembergensibus, acies utrinque instruitur. Tempus et locus conuenit. Descendunt in arenam Caroloftadius et Eccius, perpugnax uterque in disputando. Multi Comitibus, equites aurati, docti indoctique interfunt conflictui, qui omnes erecti suspensique in tam insolitum spectaculum animo intenduntur, pugnae ancipitis euentum praestolati. Totum triduum inter eos de libero arbitrio, conquisitis rationibus, disputatur.

Vter utri, ueritatis ui repulsus, cesserit tandem, nemo rectius incorruptiusque definiuit, quam Petrus Mosellanus, testis *αὐτόπλης*, qui spectator non minus, quam moderator, Principis Georgii auctoritate constitutus, toti interfuit pugnae, Caroloftadium abunde sibi satisfecisse testatus(a). Successit Caroloftadio Lutherus, qui, uerbi diuini munitus robore, fortiter capeffit pugnam. Acrius instat Eccio. Dubitationum neruos solo DEI uerbo, quod *τομώτερον ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίσημον*, incidit. Quaestiunculas, uafre contortas, implicatiusque nexas, soluit. Atque ita, certamine uiginti

(a) Petrus Mosellanus, elegantioris humanitatis cultu ita, ut ea aetate uix quisquam alius, perpolitus, Lipsiae litteras graecas latinasque rum temporis docebat, Pontificiorum sacris addiētus. Vid. Epistola eius ad Jul. Pflugium de Disputatione Lutheri cum Eccio Lips. hab. anno 1519. in Schilteri tract. de Libert. Eccles. Germaniae p. 842.



ti paene dierum confecto, spectatoribus iudicandum relinquit, utri laus uictoriae debeatur (b).

Cum ergo minus, quam optauerant, efficerent uel Eccius, uel alii, acerrimam cum Luthero disputationem ingressi, noua ineunda uidebatur uia, qua ipse in sentiendo constantiam expugnare, doctrinaeque Lutheranae, longius iam progressae, cursum sistere possent et remorari.

Ad uim res spectare coepit. Maximiliano I. defuncto, fasces imperii capessēbat Carolus V, tam amplius terra marique ac praepotens, ut iisdem, quibus solis cursus, regionibus numen ipsius maiestatis-  
que

- (b) Periucunda lectu sunt, quae eruditissimus, quem adduximus, Mosellanus de Lutheri, quem praesens disputantem uiderat et audiuerat, externa forma et habitu, ingenio item et moribus commemorat. *Martinus, inquit, statura est mediocri, corpore gracilento, curis pariter ac studiis exhausto, sic, ut propius intuenti omnia paene ossa liceat dinumerare, aetate uirili adhuc et integra, uoce acuta et clara, doctrinae uero et scripturae cognitio in eo admirabilis adeo, ut omnia paene in numero habeat. Graece et hebraice haecenus didicit, (Scriptit haec Mosellanus 1519.) ut de interpretationibus iudicium facere possit. Nec ei deest materia, suppetit enim et rerum et uerborum silua ingens. Porro in ipsa uita ac moribus ciuilibus et facilis, nihil superciliosum prae se fert, imo omnium horarum hominem agit. Alacris et securus, ubique et semper laeta facie florens, quantumuis atrociam comminatur aduersarii, ut haud facile credas, hominem tam ardua sine numine diuum moliri. Sed, quod ei uitio dant plerique omnes, in reprehendendo imprudentior paullo et morducior, quam uel tutum sit τὸ τὰ Θεῶν καὶ ἀποστόλων, uel decorum homini theologo. Quod uitium haud scio, annon cum omnibus τοῖς ἀψύμαθ' ἔσται habeat commune. l.c.*

que splendor definiretur. Videt Carolus, ad imperium euectus, quantis cum difficultatibus confluetur Germania, secum ipsa discors. Videt exulceratae patriae uulnera, quibus, nisi diffidio religionis composito, nec se, nec quemquam alium mederi posse, opinatur. Quid ergo? Quod lenioribus consiliis, fas erat, perfici, id per uim agi mauult imperator, et suis confusus opibus, et obtrectatorum maledicentia incitatus.

Comitia instituuntur Wormatiae, quo, iussu accessituque Caesaris, uenit, de periculo licet admonitus, Lutherus, et uenit tam admirabili animi excelsi atque inuicti magnitudine tantoque robore, ut ipsi imperatori sui iniiciat admirationem. Sententiam, in celeberrimo hoc illustrique imperii Procerum confessu, de religione dicere iussus, fortiter respondet, constantissimeque, nullo trepidationis signo dato, doctrinam suam defendit, nullis pollicitationibus, nullis terroribus, minis nullis, nullo, ne ipsius quidem mortis, metu a uerbo diuino, et, quae hoc nititur, ueritate dimouendus (c). Quam dederat Carolus, fides publica ne qua ratione uiolaretur, pro-

(c) Comparuere in his comitiis 70 Principes et 190 Comites et Dynastae. Lutherus ad Cranachium Vittembergam de his comitiis ita scribit: Es ist nichts mehr hier (nemlich auf dem Reichstage zu Worms) gehandelt, denn so viel: Sind die Bücher dein? Ja. Wilt du sie widerrufen? Nein. So heb dich.

prouidebat. Ex urbe deductus Lutherus a caduceatore, uiam, remigraturus Vitembergam, capessit. Mox uero publico decreto Caesarisque edito proscriptus, in praesentissimo uitae discrimine, Friderici, Saxonis, qui periculum, quod temporum parturiebat iniquitas, praeuiderat, iussu intercipitur, Vartemburgum, quod castellum imminet Isenaco, tanquam in portum, peropportune delatus.

Quod Wormatiae decretum fuerat, hoc ut ab imperii proceribus quam celerrime obseruetur, mira iubet seueritate Imperator. At hi tergiuersari, se excusare, et, uariis morae caussis interpositis, rem, quam efficere iuebantur, diu per consultationes ducere, ita, ut manu uelut a ueritate ipsis iniecta, nolle uiderentur.

Indignationem, quam ex ordinum imperii cunctatione ceperat Carolus, non poterat sibi temperare, quo minus cum in comitiis Norimbergae c. 15. XXII habitis, tum anno post, per litteras, ad Principes Electoresque ex Hispania missas, effunderet, iterum iterumque unumquemque eorum cohortatus, ut, quod Wormatiae decretum fuerit, hoc obseruetur, atque adeo, seueritatis in Lutherum contumacem eiusque sectatores exemplo edito, Imperatoris auctoritas salua stet maneatque illaesa.

b

Vide

Vide, in quas angustias tum temporis adducta fuerit religio, quae, cum extrema pendere spe uideretur, ipso, quod mireris, Ferdinando, Caroli fratre et uicario, suppeticas ferente, subrefectam se sensit, paullumque respirauit. Hic enim in comitiis, Spiraë Nemetum clō Ic XXVI habitis, utcunque libertate, ad usque oecumenicum concilium, quo lites consopirenrur, indulta, sancit, ut, in sua quisque prouincia, ita sese gerant omnes, ut sui facti probabilem rationem Deo et Caesari reddere possint.

At quam subita rerum conuersio infecuta est! In eadem Nemetum urbe, clō Ic XXIX, in celeberrimo Procerum conuentu, quae libertatis, a Ferdinando ante tres annos ad tempus concessae, seruandae spes effulserat, duriori interposito decreto, repente euanuit. Sancitur, ne quis edicto Wormatiensi, quod minus, ad hoc usque tempus, obseruatum fuerat, parere recuset. Secus qui faciat, proscriptus habeatur. Quod non minus durum, quam hoc: "ne quis a ueteribus traditionibus, quas adhuc "seruarit, discedat, ullam in partem".

Cui decreto cum intercederent Ioannes, Saxoniae Elector, et qui cum eo emendandae religionis negotio consultum cupiebant, ab ea deinde contradicendi necessitate **PROTESTANTES** sunt appellati. Legatio ad Caesarem mittitur Placentiam. Exhi-

Exhibetur ipsi, quam uocant, protestatio, scripto comprehensa. Quam decreto Wormatiensi obnuntiandi necessitatem imposuerit ipsis religio, testatum faciunt, qui missi erant. Minus benigne audita est legatio. In arctiorem, libertate abeundi negata, custodiam traditur, nec, nisi aliquot hebdomadibus praeterlapsis, ad suos reuertendi conceditur ipsis facultas.

Quod, haud facile dictu est, quantam sollicitudinem attulerit Protestantibus, qui, diligentius nunc multo, consociatis consiliis, prouident, ne quid redintegratae religionis causa detrimenti capiat. Coeunt, exeunte eiusdem anni mense Nouembri, Smalcaldiae, deque foedere percutiendo, uique aduersus uim unienda, sententias sermonesque conferunt. Ex quo tandem conuentu c1515XXX foedus Schmalcaldicum coortum est.

Dudum optauerant Protestantes, ut, quid sentirent, libere ipsis publiceque expromendi concederetur potestas. Fit enim ita fere, ut, quod multi recte sentiunt, id alii, minus recte intellectum, perperam interpretentur. Atque ita ueritas, uocibus, criminose iactatis, in inuidiam adducta, temere saepius lacescitur, et, tantum non oppressa, uix audet emergere.

Sapientissimo ergo consilio Dei praepotentis, qui ueritati salutique humanae consulebat, sic erat

prouisum, ut Caesar Comitia Augustana cIoIoXXX, cum Turcicae expeditionis procurandae, tum dissidii, in sacris exorti, componendi causa, litteris ad Proceres imperii missis, indiceret. Conueniunt Augustam Vindelicum Saxo Septemuir, Ioannes, magno splendidoque Principum, Comitum, Nobiliumque comitatu stipatus.

Offertur Carolo Fidei formula, Confessionis nomine inscripta. Rogant Protestantes, ut eam in publico audire uelit. Diu multumque rogatus Caesar, tandem eorum precibus annuit. Iubet, ut Confessio de scripto recitetur. Recitatur, idque ex eo loco, unde audiri possit ab omnibus. Ea quidem re ingentes animorum motus fiunt.

Quae dissensio Confessione, publice praelecta, frangi posse uidebatur et exstingui aequitate Caesaris, ea uero, redintegratis uiribus, crescit et corroboratur, animique, ira agitati et cupiditate, recalescunt. Acuitur ferrum in caedem et interitum, instruitur et paratur bellum, milites scribuntur, minisque et terroribus complentur omnia.

Protestantes, qui multo ante, tanquam ex aliqua specula, prospexerant tempestatem futuram, redeunt Schmalcaldiam, foedus, cuius initia, anno praecedenti, satis bene processerant, icu-  
ri.

ri (g). Hac ergo in coitione Principes multique alii, religionis Lutheranae assertores, data acceptaque fide, in haec consentiunt, ut uim, si qua inferatur, ui propulsent, pro capite, pro libertate, pro patria, pro religione, si necessitas cogat, praesentissimi discriminis bellum adituri. Quod foedus, identidem renouatum, plusne ualuerit ad uim impetumque Caesaris inhibendum, an bellum, quod cum Turcia ipsi intercesserat, an preces Lutheri, qui controuersias, negabat, se uiuo, armis disceptatum iri, haud facile definiuerim. Quod diuinarat Lutherus, exitu fuit comprobatum.

Anno post, quam de uita decesserat, funestissimi belli Schmalcaldici flamma magno erupit impetu. Exercitus adducebantur a Caesare in Germaniam, ut, quicquid Lutheranum esset, funditus deleteretur. Io. Fridericus, Saxo, et Philippus, Hassorum Princeps, uterque a Carolo V proscriptus, Caesari obuiam procedunt. Arma armis, castra castris ad Ingolstadium opponuntur (e). Parum procedit

b 3

ex

(d) Foedus hoc licitumne fuerit, an minus licitum, diu multumque disputatum est inter eruditos. Vid. Anton. Colerus de Jure Imp. German. concl. 73 seqq. & Brunemann disp. de Foeder. Statuum Imp. cum Exter. th. 30.

(e) De fortitudine animoque imperterrito Caroli V, his in periculis demonstrato, haec habet LIPSIVS. Carolus V, imperator cum in Germania copias et castra ad Ingolstadium haberet, cinxissentque eum ingenti numero militum foederati hostes; nec illi uisum dimicari, uel

ex sententia Protestantium belli huius initium, cuius  
 aliam rationem uult esse Philippus, aliam Saxo. Ille  
 Caesarem hostiliter adoriundi flagrat cupiditate.  
 Hic non tam inferendi, quam propulsandi iniurias  
 bellum susceptum, contendit.

Inter haec Mauritius Electoris regiones, Impera-  
 toris iussu, infestis signis inuadit, urbes alias post alias  
 capit. Quo audito, Io. Fridericus citatus, qua ue-  
 nerat, repetit uiam, celeriusque, quam opinentur  
 Saxones, redit in patriam, erepta recuperaturus.  
 Recuperat, praeter Dresdam Lipsiamque, oppida  
 omnia. At mox armorum uictorium cursum remo-  
 ratur Carolus, qui, principes, foedere coniunctos  
 Schmalcaldico, persecutus, impetu incurfluque ar-  
 matorum uniuersam conturbat Saxoniam.

Obuius ei fit ad Albim Io. Fridericus, cum Phi-  
 lippo, Hasso, quorum uterque, exercitui foederato,  
 satis formidoloso, praefectus, tanta bellandi uirtute,  
 quanta prudentia, enituit. Pugna prope Mühlber-  
 gam initur. Infestis concurritur signis. Anceps prae-  
 lium

uel quia sui nondum conuenissent, uel quia praenidebat tutam mox  
 et sine caede uictoriam. Ecce isti aeneorum tormentorum copia  
 ualidi, tantum ferreae grandinis in castra iaculati sunt, ut uno die  
 6000 globorum numerarent. Itaque omnia ictibus peruia, ipsum  
 Caesaris tentorium, et ad latus eius et tergum occisi: cum ille nec  
 locum, quid dico locum? nec statum, nec uultum mutauit. Quin  
 etiam monentibus amicis, sibi atque omnibus in se parceret, dixisse  
 arridens fertur. Considerent, neminem Imperatorum tormenti ictu  
 periisse. L. II. Polit. Monit. c. 6.



lium multos utrinque et fortissimum quemque absumit. Ipse Io. Fridericus, ut erat singulari animi magnitudine, et ad pericula intrepidus, in confertissimum hostium agmen irruit, acriterque dimicando in aduersum os, sinistra mala, uulnus accipit, a suis denique destitutus, et equo fatiscente, ab ordinis equestris uiro capitur, disiectis, quas in pugnam secum duxerat, copiis.

Pulvere perspersus et sanguine, a Caesare, in cuius conspectum supplex uenerat, Vitembergam abduci iussus est. Hic, capitis primum damnatus, mox, mitigata poena, electorali exuitur dignitate, Caesaremque, arctiori per quinquennium circumclusus custodia, sequi cogitur (f).

Quod idem fati iratioris genus euitare non potuit Philippus, qui, licet liber euaserat ex praelio incolumisque, Halae tamen, data publica fide, Caesarem supplex, ueniam rogaturus, conuenit. At contra, quam promissum fuerat, in uinculis detentus est (g).

#### Actum

- (f) Bellum Smalcaldicum, praeter Thuanum, eleganter descripsit Camerarius commentario graeco, quod scriptum, cum latina uersione Steinii exhibetur a Frehero Tom. III Germ. fol. 387.
- (g) Quae de Landgrouii, Philippi, supplici deprecatione ex tabulariis et actis publicis Dreyhaupt collegit, memoratu digna sunt. Ex documento, quod Dreyhaupt adfert, haec fere annotasse iusticiar. *In des sein die zween Churfürsten sambt den Landgraven anch geritten kommen, abgestigen im Hove, und den Landgraven zwischen inen bey dem Kothe, so ein schwarzer Sammat was, darunter er am Leib ein Kothe Binden überzwerch geführt, welchen*

Actum nunc uidebatur de Protestantibus, actum de religione, in extremo sita, actum de Germaniae ecclesiaeque libertate. Quid non metuendum erat a Caesare, cui ad amplitudinem et gloriam ea diuinitus erat adiuncta fortuna, ea auctoritas, ut posset, quique eo erat animo, ut non nollet hostes, fusos fugatosque, fortunis omnibus euertere? Quid ergo est, quod, in tanta malorum colluue, Protestantibus reli-

welchen Herzog Ernst von Braunschweig, auch ir aller Hoffge-  
sind vor und nachgangen. Und als sie alle auf gemelten Sale  
kommen, haben die Key. Hoffmeister platz gemacht, damit die  
Churfürsten sambt den Landgraven vor Key. Maj. welche wie  
vorgemelt, schon geseßen, kommen möchten, wie dann gesche-  
hen, Also ist der vilgemelte Landgraff sambt seinem Canzler,  
Docter Dilmann Güntherode, an (ohne) einich Vorrede, vor dem  
Deppich, darauf Key. Maj. stul gestanden, uff den Estrich uff  
die Knie gefallen, doch zuvor ehe er nieder gekniet, mit den  
Churfürsten etwas geredt und gelehelt, aber die Key. Maj.  
sauer gesehen, und gedachter Canzler sambt seinem Herrn also  
knien, nachvolgend Bitt im Gnad und Verzeihung aus einer  
Schriften oder Zettel von Worten zu Worten gelesen, wie her-  
nach volget 2c. 2c. Bartholomaeus Zastrow, testis *αὐτότης* haec  
in Chronico MSko habet: Den 18 Junii gegen Abend haben die  
beyden Churfürsten Sachsen und Brandenburg Landgraff Phe-  
lippen von Hessen zwischen sich in Hall geführt, und hat fort  
den andern Tag gegen Abend um 6 Uhren auffn großen Saal  
in des Keyseris Losement, in Beyseyn vieler Herren, Churfür-  
sten, Fürsten, fremder Potentaten Botschafften, Grafen, Ober-  
sten, Bedelichs Leuten und ein großen Anzahl Menlichs, so  
viel als ins Gemach gehen, und von aussen zu die Fenster drein  
sehen konten, mit seinem Canzler, der neben ihm uf den  
Knien saß, den Sussfall gethan. Aber als der Canzler demü-  
thig genug die Abbitte thete, saß der Landgraf (wie er ein spö-  
tischer Herr war) und lachte gar schimpflich darüber, winkte  
der Keyser mit dem Finger, sahe zorniglich und sagte: Wel ic  
sol die Lachen lehren. Dis geschah auch. Vid. Drehaupt  
Beschreibung des Saalkreises. Tom. I. p. 258. 199.

reliqui maneret? Hoc unum, ut, ubi nihil esset praesidii in ope humana, diuinam sperandi ipsis non erepta foret potestas. Subsidio uenit Deus, ubi ipsa salus seruare non posse religionem uidebatur, animosque, rebus subdiffisos suis, adspem reuocabat.

Nunquam horum recordor temporum, quin admirer singularem Dei prouidentiam, qua adgubernante, ueritas, ex tot difficultatibus eluctata, post insolitam commemorabilemque rerum conuersionem, uictrix discessit. Ipse Imperator, in Protestantium interitum intentus antea et accinctus, nunc, pace reddita, restitutaque publica securitate, Germaniam laetitiaefensu complet tanto, quantus maximus cogitari potest. Ipse Mauritius, qui, confocia-tis ante cum Caesare copiis, in angustias redigit Saxones, et reliquos, Lutheranae religioni addictos, conturbat, nunc, ex inimico factus amicissimus, arma conuertit in Carolum, nec, nisi procurata pace, rationibusque Germaniae prouidentissime constitutis, conuiescendum sibi putat. Ipsius belli Smalcaldici, quod communi calamitate ad unum omnes Protestantes pessum dare putabatur, is, propitio Deo, fuit exitus. ut, quemadmodum ex turbido die serena et tranquilla lux, sic ex eo laetissima pax fuerit coorta.

Vice-

Vicerat hostes Carolus, religionem uincere non poterat. Omnem armorum uim eludit ueritas, de qua obterenda cogitare, quid est aliud, quam coelum uelle deturbare, aut cum ipso Deo bellum gerere? Quod impetu perfici non poterat, id dolo quin in posterum conficeretur ex sententia, nulli dubitabant consultores quidam Caesaris.

Formula conscribatur, quam paci conciliandae tantisper seruire uolebat Caesar, donec in Synodo composita lis esset. Libellum dicebant INTERIM, qui ad religionem Lutheranam, cuniculis uelut actis, oppugnandam subuertendamque apprime instructus erat. Obtrudi uolebat hanc formulam Caesar ordinibus imperii, quod quantas tragoedias excitarit in Germania, quis nescit? Mauritius, heroum fortissimus prudentissimusque, formulam hanc, tanquam credendi normam, suo comprobare suffragio iussus, repudiauit eam, parumque obsequiosus, quam iniquus religionis desertor, uideri maluit. Quae prima secessionem a Caesare faciendi fuit occasio, causaque idonea. Alteram hanc habeto. Principes, quos Caesar, arctius custoditos, detentosque, secum ducebat, dudum, fas erat, libertate donari, et suis quemque terris reddi, id quod iterum iterumque Mauritius rogarat Caesarem, At preces sentiebat irritas, socerumque non minus, quam

quam Io. Fridericum, Saxonem, diutius, quam ferret ipsorum dignitas, seruitutem perpeti, aegre ferebat. Quare de horum utroque, quoquo modo fieri posset, in libertatem uindicando cogitabat, armis, ubi precibus nihil fuerit loci, destinata executurus. Denique, est enim haec tertia caussa, cur arma contra Caesarem ferret, Mauritius, imperii libertatem, Caroli exterorumque, Hispanorum maxime, dominatu oppressam, asserturus, nulla in re, quam in armis, maius se praesidium inuenire, arbitrabatur, in eamque curam cogitationemque incumbebat unice, ut, tranquillatis rebus Germaniae, religioni perpetuam redderet securitatem, litteris otium et decus, auctoritatem imperantibus, ciuibus libertatem, commerciis florem, et cuiusque felicitati robur ac firmamentum.

Quod animo meditatur bellum, occultat Mauritius, sententiam suam multis simulationum inuolucris tegendi, si quisquam, peritissimus. Quos maeandros, quae diuerticula, quas flexiones quaerit, ne quid suo de consilio resciscat Caesar. Cohortes, quas, obsidione Parthenopolitana soluta, missas facere debuerat, in hiberna mittit, et ita collocat in praesidiis, ut, primo quoque signo dato, conuocari in unum, ducique in aciem possint. Foedus, clam Imperatore, cum Gallorum rege sancit. Principum-

cipumque permulti ad eum, colloquendi causa, occultius ueniunt, deque Caesaris ui comprimenda consultant. Re curatius agitata, omnibusque, quae ad belli usum spectant, sollicitè apparatus, progredi, sed lento gradu, ad hostium castra coeptum est. In itinere multae, a Caesareanis obsessae, urbes expugnantur, cumque Ferdinando consultationibus, sed frustra, de pace ineunda institutis, cum copiis ad Alpes irrumpit. Primo impetu castella nonnulla, natura et operè satis munita, capit, subitaque impressione in fines Tyrolis facta, ita perterret Caesarem, ut Oeniponte Villacum Canorum, in tempesta nocte, praepropere se recipiat, fuga salutem petiturus.

Felicissima hac Mauritii expeditione Io. Fridericus, Saxo, et Philippus, Hassus, e custodia liberati, paullo post domum reuertuntur, magno plausu uotiuisque acclamationibus, a suis quisque ciuibus, excepti.

Tandem ergo Caroli animus, diu licet multumque reluctatus, ad inducias primum, deinde ad pacem flectitur, et Germania, Mauritio concordiae auctore, a diuturnis motibus, quibus misere conuassata fuit, transactione, quam uocant, Passauiensi, clo lo LII inita, conquiescere coepit. Hac pactione, quae, ut aurora solem, ita Pacem Augustanam

stanam antegressa est, sancitur, ne quis, quoquo modo fiat, sacra turbet Protestantium, illosque, religionis causa, uiolet, ipsique adeo communi tranquillitate cum Pontificiis in posterum perfruantur.

Quod ipsum Pace Augustana, cl<sup>o</sup> 15LV, d. xxv Sept. stabilita, confirmatum est. Recte ergo, nec incite haec RELIGIONIS PACIFICATIO dici potest Germaniae Palladium, per quam hucusque uiguit, uigebitque in posterum Sacrosancti Imperii nostri maiestas (h). Recte Augustanam pacem firmissimum nominaueris fulcrum, quo Imperii Romani non minus, quam ecclesiae securitas nititur, quodque tanto minus conuelli potest, quanto sanctior est iurisiurandi religio, qua quisque Imperator, recens electus, prius, quam fasces imperii capessit, ad pacem hanc religiosam pie inuiolateque seruandam fidem suam adstringit.

c 3

Bea-

- (g) *Syringius*, qui de hac pace luculentam edidit commentationem, recte eam vocat unicum illud et adamantinum uinculum, quo qualescunque illae imperii nostri reliquiae et ferrolutei pedes utcunque continentur, et a dissolutione atque ruina haftenus conseruantur. § 12. Post *Sleidanium* et *Thuanum* de pace hac religiosa eiusque origine copiosius et ex instituto egerunt *Seckendorffius* *Histor. Lutheranismi*, *Schilterus* de Pace Relig. Cap. 2. *Samuel a Rembing* Orat. de Pace religiosa. *Burgold*. *Noric. Rer. illustr. Imperii Rom. Germ. f. discurs. ad Instr. Pacis Part. I. disc. I.* *Schwederus*. *Actus Tubingensis in disput. de Pacis Religiosae Constantia et perpetuitate 1707. Tubing. hab. pluresque alii.*

Beatos nos, qui pacis huius, tam omnibus uotis experitae, ipsoque maiorum sanguine redemptae, fructibus recreamur, qui recte sentiendi libertate, dominatu quondam temporumque corruptelis oppressa, perfruihur, qui, ab omni interpellatorum impetu liberi, uerbi diuini fontes, purius manantes, adeundi combibendique facultate gaudemus.

His, aliisque beneficiis, Pace Augustana concessis, memoria recolendis dum intenti sumus, quis est, qui non nostrorum felicitate temporum magnopere laetetur? Quis, qui non, gratisimi animi pietate ac sensu commotus, plausus edat tollatque iubila?

Nefas fuerit, in communi omnium laetitia, Gymnasii nostri conclauia festis non circumsonare uocibus, nefas fuerit, deesse partibus, quas imponit religio, qua Deo, pacis auctori et conseruatori, tenemur. Defungentur ergo mecum officio Collegae aestimatisimi,

Dn. M. Io. Godofredus Geislerus,  
Gymnasii Conrector, et

Dn. Christianus Sam. Frid. Grosserus,  
Collega I.

laetitiam, animo conceptam, orationibus solennibus testificaturi, Germaniaeque pacem, per duo  
fae-



saecula, tot inter rerum conuersiones, seruata  
gratulaturi.

Easdem dicendi gratulandique partes sibi luben-  
tissime imponi passus est Iuuenis Generosus,

**Hanns Ernestus de Teubern, Equ. Misn.**  
qui ingenio, exquisitoris studio doctrinae, morum-  
que elegancia nobis commendatissimus, multam  
adhuc laudem apud nos dicendo, aliisque bonae  
mentis exercitationibus obeundis, consecutus est.  
Orationem, quam in solenni panegyri habebit, eo uult  
pertinere, ut et opportunitates commodaque prae-  
stantissima Pacis Augustanae, et summam Dei cle-  
mentiam, hoc beneficio manifestatam, animis audi-  
torum subiiciat. Simul supremum dicet uale Gy-  
mnasio, in Academiam Lipsiensem propediem ab-  
iturus.

Quas orationes, Cal. Octobr. habendas, ut perbe-  
nigne audire uelint Patroni Gymnasii, omnesque,  
qui litteris et religioni suum statuunt pretium,  
quanta possum maxima obseruantia et humanitate,  
rogo contendoque. P. P. clbcccLV,  
d. xxvii Sept.



facile, tot inter totum conuentiones, licturam  
faciliter.

Facilem tamen gratiamque amari libellus  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Quam facile de Tepe in Tepe  
facilem tamen expulsum tunc de Tepe mori-

que elegit nonis conuentionibus nam  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.

Facilem tamen quos est inuenit denuo  
facilem tamen quos est inuenit denuo.




9/6 1781 0A

(X2627378)

117







SOLENNIA SAECVLARIA

MEMORIAE

PACIS AVGVSTANAE

RENOVANDAE SACRA

INDICIT

ET

SENATVM REIPVBLICAE GORLICENSIS  
AMPLISSIMVM

OMNESQVE OMNIS ORDINIS LITTERATOS  
AD ORATIONES

IN GYMNASIO GORLICENSI die 10<sup>da</sup> LV, IPS. CALEND. OCTOBR.  
HOR. IX MATVT. PFRBENIGNE AVDIENDAS

HVMANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE

INVITAT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS

AVGVSTI GYMNASII GORLICENSIS RECTOR

GORLICII

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

